



**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

35. Quomodo Nazareni voluerint Christvm de monte præcipitare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59868)



QVOMODO

NAZARENI
CHRISTVM ARGV-
ENTEM EORVM INCRE-
DVLITATEM VOLVE-
RINT PRAECIPI-
TARE.

MEDITATIO XXXV.

EVANGELIVM.

VENIT IESVS in pa- Matt. 13.
triam suam Nazareth, vbi Mar. 6.
erat nutritus, & intrauit Luc. 4.
secundum consuetudinē
suam die Sabbati in Synagogam, &
coepit docere eos; & cum traditus
esset illi liber Esaiæ Prophetæ, re- Esa. 61.
uoluens librum, inuenit locum vbi
scriptum erat. Spiritus Domini su-
per me, propter quod vnxit me, Eu-
angelizare pauperibus misit me,
sana-

sanare contritos corde, predicare captiuis remissionem, & cæcis visum. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & coepit dicere ad illos. Quia hodiè impleta est hæc Scriptura in auribus vestris. Et omnes audientes testimonium illi dabant, & mirabantur in Doctrina eius, & verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, & dicebant. Vnde huic sapientia hæc, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nõne hic est filius Iosoph, fabri filius? nõne hic est faber filius MARIÆ, frater Iacobi & Ioseph? Vnde ergo huic omnia ista? & scandalizabantur in eo. IESVS autem dixit eis. Vtique dicetis mihi hanc similitudinem. Medice cura teipsum. quanta audiuius facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua: non est sine honore, nisi in patria sua, & in cognatione sua. Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israhel, cum facta esset fames magna

3 Reg. 17.

na

na in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias nisi in Sarepta Sidonis ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Iſrahel, sub Helizeo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et ^{4. Reg. 5.} repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.

FIGVRAE.

Mandauit DEVS Abraha vt Gen. 12.
 Mexiret de terra sua & cognatione sua, se eum apud
 exteros facturum in gentem magnam.

2. Ioseph in patria, & domo propria Gen. 37.
 à fratribus suis per inuidiam persecutionem passus & afflictus est, sic vt è

vita

644. MEDITAT. DE VITA

Gen. 41. *vita eum tollere voluerint, sed in Aegyptum abiens à Pharaone honoratus & exaltatus est.*

Ier. 29. *3. Ieremias cum prædicaret Indici, eorumq; incredulitatem argueret, totusq; populus in eum accenderetur ira, captus est, vt è viuis tolleretur.*

PROPHETIAE.

Hie. 18. *N* *Unquid redditur pro bono malum, qui foderunt foueam animæ meæ?*

Psal. 37. *2. Amici mei & proximi mei aduersum me appropinquarunt & steterunt.*

CONSIDERATIONES.

Punct. 1. **C**ONSIDERA, quomodo CHRISTVS redemptor noster, cupidus iuuandi omnes, vt quoque pro auxilio & salute omnium in hunc mundum aduenerat, post decursam Galilæam & Samariam, prædicando, docendo, varique beneficia hominibus præstando, peruenerit in patriam suam Nazareth. Noluit IESVS sapientia æterna initium prædicationis & miraculorum facere in patria, ne videretur ad id per motus, potius humano affectu erga pa-
ren-

rentes vel cognatos, vel studio ostentā-
 di se suasq; virtutes in loco vbi notus e-
 rat, quam puro zelo animarum. Nec ta-
 men voluit patriæ suæ omninò adime-
 re sua beneficia, quod ex officio, ad
 quod venerat, & ex debito quodam na-
 turæ ad id esset obligatus. Quanquam
 non ignorabat mitissimus IESVS, se
 non solum non à ciuibus suis recipien-
 dum, & in honore habendum, sed etiā
 respuendum, & exturbandam, non sine
 mortis periculo. Sed non est ideo deter-
 ritus, quo minùs ad eos proficisceretur,
 & viā salutis eos doceret, etiamsi enim
 ingratitude sua se reddiderint indig-
 nos alijs beneficijs, (*Nec enim poterat, vt
 habet Euangelista, ibi virtutem vllam fa-
 cere*) hoc tamen bonum illis præstitit,
 vt veritatem eis dixerit, & defectus eo-
 rum patefecerit: Nam non minus be-
 neficium Dominus præstat hominibus
 eos corrigendo & castigādo, quàm con-
 solatione vel prosperitate aliqua tem-
 porali refocillando.

2. INGRESSVS synagogam Do-
 minus accepto libro cœpit exponere
 Scripturas quæ de ipso loquebantur.
 Considera quomodo sapientia increa-
 ta, à qua in cælo docentur ipsi Cheru-
 bini, in terram delapsa nunc tanta hu-
 ma-

manitate dignetur agere Magistrum
hominum. Vbi perpendere potes, Do-
mino illa vaticinia prælegente, & tan-
ta benignitate popularibus suis ea ex-
planante, mox angelorum agmina in-
teruenisse gaudio ineffabili in diuinū
illum vultum respicientium, & summa
cupiditate excipientium, verba quæ
ex aureo illo ore proficiscebantur. Vn-
de mirum non est si oculi omnium, vt
scribit Euangelista, in eo erant defixi:
Erat enim vultus eius supra omnes fi-
lios hominum amabilis, & speciosus,
ex quo certus quidam refulgebat splen-
dor index internæ perfectionis & gra-
tiæ; verborumque suauitate omnium
obstinatorum & durorum hominum
pectora mollebat, & efficaciter attra-
hebat. Tunc ô Nazareth, conuenienter
nomini tuo, poteras vocari sancti-
ficata & florida; in te enim existerat,
Sanctus Sanctorum, imò omnis sancti-
tatis auctor, flos campi pulcherrimus,
& odoriferum lilium vallium, quod
sua pulchritudine & splendore non so-
lùm tibi attulit ornamentum & glo-
riam, sed suo quoque odore totū mun-
dū postea replere debebat. Beata esses,
si hodiè agnouisses illum, qui tanta hu-
militate & benignitate te docuit: neq;
enim

Psal. 44.

Cant. 1.

enim erat homo purus, sed angelorum Dominus, & Rex paradisi, quem si audire & recipere voluisses ciuem in terra, te fecisset ciuem in caelo.

3. CONSIDERA quàm verè & propriè redemptori nostro conueniant huius Prophetiæ verba; nam primò qui dem Spiritus sanctus erat super ipsum, non ex parte & secundum mensuram, *Ioan. 3.* ut in alijs Sanctis, sed à primo suæ creationis momento in eam cum omni plenitudine descendit, sicut ex abundantia Spiritus CHRISTI repleti sunt omnes Sancti. Vnctus quoque fuit CHRISTVS Dominus noster: at qua vnctione alia, quàm copia omnium charismatum donorumque cælestium? quàm pretioso vnguento in caput sacerdotis Aaron effuso, & per capillos in barbam, vsque in oram vestimentorum eius decurrente: quare aliud significatum non est, quàm exuberans illa gratia, quæ effusa in CHRISTVM caput nostrum, in omnia mystici corporis membra, hoc est, Ecclesiam suam defluere debebant. Fuit vnctus CHRISTVS, tanquam vnicus noster Rex, qui saluare & liberare nos debebat de manibus inimicorum

Heb. 3.

rum nostrorum. Fuit quoque vnctus
tanquam noster verus Sacerdos, qui se
in agnum immaculatum pro totius
mūdi peccatis offerre debuit, nobis
que aditum patefacere in sanctuarium
caeleste; quod fecit, cum ille primus il-
lud tanquam summus Sacerdos ingres-
sus est non per sanguinem taurorum
aut vitulorum, sed per proprium san-
guinem. Fuit denique vnctus tanquam
Propheta, erat enim magnus ille Pro-
pheta, de quo loquens Moyses ad popu-
lum Israhel dixit. *Prophetam de gente tua,*

*Deu. 18.**Eccl. 11.**Apo. 3.*

*de fratribus tuis, sicut me suscipiet sibi
dominus tuus.* Adhæc fuit missus CHRIS-
TVS ad euangelizandum non diuiti-
bus, non superbis & potentibus huius
mundi; atq; illis qui dicunt; *sufficiens mi-
hi sum, nullius egeo,* sed pauperibus spiri-
tu, humilibus, qui sua errata agnoscunt
& diuina gratia se indigere profitentur
ac peccata sua humiliter confitentur.
Missus fuit, sicut bene subiunxit Prophe-
ta, ad sanandum contritos corde, qui
lethali vulnere peccati fauciati exposce-
bant remedium; ad prædicandum li-
bertatem illis qui erant sub potestate
tyranni infernalis, ad restituendum ijs
qui versabantur in tenebris ignorant-
iæ, & errorum, lumen fidei veræ; ad
sub-

subl
iugo
pus
tis r
bus
4.
SV.
ligat
bon
tuis
iuria
in su
gian
tibu
cium
gis?
quo
peti
CH
dam
retu
mir
sum
disp
pot
mo
qua
nob
mia
quo

subleuandum oppressos à graui legis iugo: ac denique ad annūciandum tempus acceptabile, id est diem illius salutis tantoperè desideratum & ab omnibus expectatum.

4. SED quid sibi vult, ô benigne IESV, cum homo quilibet naturaliter obligatus sit patriæ suæ, & tanta tua sit bonitas & liberalitas, vt nec inimicis tuis beneficentiam subtrahas, imò iniuriam tibi factam censeas; si homines in suis necessitatibus non ad te perfugiant, cur non ciuibus tuis à te petentibus aliquod opus exhiberi, & beneficium præstari manum minimè porrigis? Verùm causa huius rei fuit. Primò, quod Nazareni non ex humilitate id petierint, vt beneficium aliquod à CHRISTO reciperent, sed ex quadam vanitate, ne ipsorum ciuitas videretur inferior, ijs in quibus iam aliquot miracula ediderat. Secunda causa fuit, summā eorum ingratitude. O quàm displicet Domino hoc vitium, quam potens est & validum, cum quodammodo liget Dei manus, vt beneficia, quæ maximè tamen vellet, impartiri nobis non possit. Verè magna & eximia gratia Nazarenorum ciuium fuit, quod in eorum vrbe verbum incarna-

Et tum

650 **MEDITAT. DE VITA**

tum carnem humanam assumere voluerit, quod inter eos, homines tanta sanctitate conspicui habitarent, ut beata Anna & Ioachim cum sanctissima filia sua DEI Matre, & ante omnes Sanctus Sanctorum IESVS CHRISTVS, æterni Dei filius. Nazarethi igitur, quia neque agnouerunt, neque in vlllo pretio habuerunt tam inestimabile beneficium, sua ingratitude quoque indignos ad minora à CHRISTO recipienda se reddiderunt. Nam vnde moueri debuerant, ut Christum pluris facerent, & ampliore honore propter singularem doctrinam & opera admiranda prosequerentur, indignam arripuerunt cum aspernandi & calumniandi. Cuius rei causa alia non fuit, quam quæ mouit primos illos Patriarchas ad persequendum ex odio fratrem suum IOSEPHVM, maledicta, nimirum, inuidia, quæ tantoperè grassari solet inter ciues, ut alter ab altero non sinat se superari, aut maiore in honore & existimatione haberi. SED quid mirum, Nazareth non cognouisse nec in pretio habuisse suum ciuem CHRISTVM? cum neque mundus illum, teste sancto Ioanne, cognouerit; cum enim Creator in illum

Gen. 37.

Ioan. 1.

tan
ma
ven
turn
mea
rem
dem
uit
tuu
dit
cele
ter,
exp
um
s.
sai.
fabe
in e
pro
mil
mi
set
cur
ea
pro
tui
di
na
to
no

tanquam proprium suum Domiciliū,
manibus eius conditum & fabrefactū
venisset, receptus non fuit, imò ex eo
turpiter eiectus est. Tu quoque anima
mea, quoties venientem ad te Saluato-
rem, qui te creauit; & suo sanguine re-
demit, ac tanto tempore lacte suo pa-
uit, illum amantissimum sponsum
tuum, qui continenter ad ostium cor-
dit tui pulsatur, ut illi aperias, teque suis *Apo. 1.*
celestibus donis & beneficijs locuple-
ter, Tu Nazarenis ingrator, repellis &
expellis à te Patrem tuum, sponsum tu-
um, & Deum tuum?

5. DICEBANT Scribæ & Phari-
sæi. *Vnde huic sapientia hæc? nonne hic est
faber, & filius fabri? & scandalizabantur
in eo.* Indignabantur CHRISTO
propter paupertatem, & parentelæ hu-
militatem, atque si homo sapiens, &
mirabilium operum effector, non pos-
set nasci ex inopi & humili prosapia;
cum contra potius admirari debuerint
ea de causa, maioreque veneratione
prosequi, si perpendissent id non po-
tuisse fieri nisi diuina gratia, & ex gran-
di miraculo. Quare temerè illum asper-
nati sunt. Nam & Dauid, radix & fons
tot Regum, omniumque Prophetarum
nobilissimus, erat humilis ouium pa-

Ec 2 flor

storculus, filius Iesse, pauper & rusticanus. Moyses quoque legislator magnus à parentibus erat ignobilis, pascens gregem Iethro soceri sui. Ex alia parte rectè & verè **CHRISTVM** appellarunt fabrum, & filium fabri, quia filius erat magni fabri, qui initio fabricauit totum orbem terrarum. Erat & ipse faber quia diuinis eius manibus omnia fuerunt fabrefacta & condita. Itaque in errore illo Iudæorum recondita latebat veritas, Christum verè esse filium fabri, non illius de quo illi cogitabant, sed eius qui auroram & solem fabricarat, ne npe, Ecclesiam antiquam, & nouam Euangelicam.

*Exo. 2.
v. 23.*

Psal. 83.

6. **CONSIDERA**, Saluatorem, vt instar sapientis medici Nazarenis suam infirmitatem patefceret, eiusque causam, vt se agnoscentes, & submittentem possent ab ipso sanari, dixisse, *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Quo illi audito, existimantes se confessione ista veritatis notari & iniuria affici, ita & furore ardentem eiecerunt illum extra ciuitatem, & conati sunt etiam de monte præcipitare. Infelix Nazareth, quæ è tuis finibus exterminando Saluatorem simul amisisti salutem; eijciendo So-

lem

lem iustitiæ, in tuæ ignorantiaë mali-
 tiæque tenebris cæca permansisti, &
 denique expellendo veram vitam, æ-
 ternam mortem incurristi. Merito au-
 tem hoc in facto Iudæi se non solum
 discipulos, sed etiam deteriores Magi-
 stro suo diabolo declararunt. *Luc. 4.* Nam
 diabolus tentans CHRISTVM, ver-
 bis suadere ei conatus est, vt se de tēplo
 præcipitaret, at isti suis manibus cum
 præcipitem de monte agere voluerunt.
 Verum benignissimus IESVS qui non
 venerat ad puniendum, sed ad patien-
 dū pro peccatoribus, patienter & libenter
 propter nos hanc iniuriam sustinuit, cū
 que suæ diuinitatis virtute, potuisset ef-
 ficere, vt Nazarenis illis sacrilegis terra
 dehisceret, ipsosque viuos absorberet,
 tamen summa mansuetudine, nulla
 pœna inflicta, per medium eorum
 transiuit. Sed heu, quod à CHRISTO
 deserti essent, fuit pœna omnium gra-
 uissima. Væ animæ, quæ suis peccatis
 causam præbet, vt à CHRISTO defera-
 tur, cum hoc ipso sit in tyranni infer-
 nalis potestate, & æternis supplicijs ad-
 dicta.

7. NON dubium, quin tanta ciui-
 um ingratitude, dulcissimum IESV
 pectus transfuerberarit, paratasque id

Ec 3 tem-

temporis fuerit vitam suam, si voluntas illa diuina fuisset, profundere, precipitiumque illud pro salute eorum in se patienter suscipere: & quamuis tunc mori non voluerit, quia nondum tempus erat, tamen cogitare potes, quot verbera sacrilegis illorum manibus, quot conuitia auribus suis exceperit, interea dum populus furens eum per vias deduceret ad agendum cum de monte precipitem? Comparare anima mea, & vide quomodo per inuidiam suorum popularium tanta ignominia afficiatur in terra ille, qui in cælo tantoperè est glorificatus, & ab Angelis collaudatus, vt nunquam in eo contemplando & prædicando fatiari possint. Eijciunt vrbe sua ingrati Nazareni Dominum qui venerat, vt eos perduceret ad cælum, & in cælestem Hierusalem introduceret, vbi perpetua fœlicitate visione ipsius Dei perfruerentur. Conantur precipitare, & morte afficere illum, qui ad eos à morte seruandos, & infernali precipitio liberandos venerat. Illum denique volunt de monte ruere, qui manu sua subleuat lapsos omnes, & qui nondum ceciderunt, sustinent ne labantur. *Hæu anima mea,*

Psal. 144.

fi

si abhorres à tam execrando Nazarenorum sacrilegio, cogita te quoq, quoties corde consentiendo in vnum peccatum mortale diuinam gratiam exclusisti, toties eiecisse & precipitasse elementissimum tuum redemptorem.

COLLOQVIUM.

O Rabis CHRISTVM Dominum, sicut se humiliando in omnibus, non dedignatus est in Synagoga fungi officio lectoris, & post institutos multa submissione Nazarenos mala patienter pro bonis sustinuit, passusque est se non grauatè deduci in locum, vnde precipitandus erat: dignetur tibi quoque gratiam largiri, vt eius exemplo desideres te humiliare, & cum gaudio suscipere in animarum auxilium qualecunque omnes iniurias illatas patienter, exclusa omni vindicta, ac denique omnes inimicos tuos ex animo amare, malefactis, beneficia rependendo.

Ec 4 DO-

1. **V**ERBIS Prophete Esaiæ à Domino allegatis, & primò, quod missus sit ad Evangelizandum pauperibus: Secundò, ad sanandum contritos: Tertio, ad predicandam captiuis remissionem: Quarto, ad restituendum cæcis visum. Quintò, ad liberandos oppressos, Sextò, ad predicandum annum retributionis, àndicantur sex conditiones conuenientes in Prælatos. Prima est, subuenire, & solari eos qui sunt in paupertate & erumna. Secunda, confortare pœnitentes spe veme. Tertia, inuifere & iuuare captiuos. Quarta, instruere ignorantes Quinta, subleuare oppressos. Sexta, excitare negligentes, & tepidos timore pena, & spe premij.

2. **CHRISTVS** post apertum sacre Scripturæ librum, cum quedam prælegisset, plicuit & clausit illum, ad significandum non omnia omnibus promiscuè predicanda, sed cuique quod cõuenit eius capacitati & dispositioni.

3. **CHRISTVS** post lecta verba Prophete, non dixit de se scripta esse, sed quod tunc temporis impleta esset illa prophetia. Vnde discimus, quàm modeste & humiliter loqui debeamus de rebus nostris, que pertinent ad aliquam nostram laudem vel honorem: hoc est, vt ita dicamus viritatem, ne videamur nos ipsos predicare vel extollere.

4. **DIXERVNT** Nazareni **CHRISTO**.
Quan-

Quan
pharm
pharna
Nazare
fecit m
ter mor
agunt,
necicia
culum
qui vi
dicunt
sis ante
fruan
nec ill
cat.
5. M
morte
qui no
verit
murat
fensor
6.
re vo
repre
trans
vlcis
dissin
& d
cend
7.

Quanta miracula audiuius facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Capharnaum idem est, quod Campus Penitentie: Nazareth verò, terra florida. CHRISTVS fecit multa miracula in Capharnaū, quia libenter moratur in animis eorum, qui penitentiam agunt, communicando illis multa gratuita beneficia: Contra in Nazareth nullum fecit miraculum, vt significaret, se longe abscedere ab ijs qui vitam delicatam inter flores ducunt, & dicunt, sicut scriptum est, Coronemus nos rosis antequam marcescant, & bonis huius vite fruamur. Cum his nō habitat CHRISTVS, nec illi sue diuine gratie dona communicat.

5. NAZARENI verbis Christi offensi mortem ei intenterunt: sic hodie multi faciunt, qui nolunt sibi ea dici, quae non arident; & si veritas illis proponatur, turbantur & obmurmurant, ipsosq; concionatores & veritatis defensores persequuntur.

6. CHRISTVS Nazarenis se precipitare volentibus non restituit, non vltus est, nec reprehendit, sed quietè per medium illorum transeundo, recessit: hac re informans nos, ne vlciscamur iniurias nobis illatas, sed potius dissimulemus, patientia nostra malignitatem & duritiem aduersariorum nostrorum vincendo.

7. QUATTOR modis intentata est mors
CHRISTVS

CHRISTO: nam quidam voluerunt eum occidere gladio, ut Herodes, alij lapidare, ut Iudæi, alij precipitare, ut Nazareni, Alij denique cruci affixerunt: Sic homo impius & peccator tunc crucifigit CHRISTVM, quando peccata, semel condonata rursus committit: tunc verò occidit gladio, quando eum blasphemat: tunc lapidat, quando in peccato est obstinatus: tunc denique precipitat, quando desperat.

8. Nazareni Christum, cum declararet, scripturas testificantes ipsum esse verum Messiam in lege promissum, cum gloria quadam admirabantur & laudabant: ut verò incredulitatem eorum coarguit, eum eiecerunt, & de monte precipitare voluerunt. O quot nostrum similes sumus Nazarenis, qui, dum ab alijs quædam dicuntur in nostram laudem vel honorem vergentia, eos laudamus & prædicamus; dum verò ab iisdem non celatur veritas, mox capitali odio eos prosequimur.

Scripsit J. W. Paderb.

FINIS Primæ partis Meditationum de Vita & Passione CHRISTI DOMINI NOSTRI.

n oē
e, vt
ij de
pēe
ando
itit:
pbe-
ob sti-
lespe-
scri-
siam
admi-
ulita-
e mō-
m. st-
qua-
torem
wz

atio-
I.



